



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas I. An Angelis sit inannihilabilis ex gratia per potentiam
ordinariam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

dum essendi ipsius operantis, cum unumquodque operetur, secundum quod actu est.

RESPONDETUR. Negando Min. Negando item illud solum esse incorruptibile, quod non est compositum ex materia. Certè enim ipsæmet operationes spirituales, non sunt compositæ ex materia, de facto tamen desinunt. Quod autem dicitur operationem indicare modum essendi, in hoc sensu est verum, quod scilicet non possit esse absolutè dignior, quàm ipsum suum principium, sed non est necesse, ut sequatur conditionem objecti affecti, utque sit immortalis, si objectum sit immortale: aliàs deberet esse à se, cum noscat ens à se. Imò ex dicto principio sequitur Angelos defectibiles esse, cum ipsa illorum operatio deficiat.

Advertit etiam Arriaga hoc Argumentum multum probare, & oppositum: multum quidem, quia si incorruptibilitas Angelorum comparatur cum rotunditate in circulo, sicut nec divinitus rotunditas potest separari à circulo; ita nec divinitus annihilari Angelus. Quod autem oppositum probet dicta ratio inde deducitur. Quia quamvis rotunditas non possit separari à circulo, tamen cum sua rotunditate destrui potest, ergo idem de Angelis dicendum.

2. RATIO ex eodem S. Thomæ proponitur ab Arriaga hic n. 26. Res quæ caret contrario, & habet causas, semper eodem modo applicatas, & potentes se conservare, semper necessario conservabitur: Idem enim manens idè, semper aptum est facere idem. Sed Angelus non habet contrarium, & Deum à quo producit, semper habet æque applicatum ad conservandum; Ergo æqualiter semper conservabitur.

RESPONDERI potest 1. Negando universaliter Majorem. Quia in primis dantur qualitates materiales, non habentes contrarium, & quæ à Deo solo conservantur, & tamen desinunt, tales sunt species audibiles, sonus, &c. In spiritualibus etiam negant aliqui species spirituales semper retineri. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Nam quamvis sonus per oppositionem diversæ formæ quæ sit non sonus, non habeat contrarium; tamen propter bonum universi deposcit interire: Si enim omnes soni conservarentur, officerent distinctè auditivæ: habet etiam sonus oppositionem cum specie intra idem genus, nempe cum sono minori; sonus enim major ita superat minorem, ut non possit audiri, & vicissim potest superari à majori adhuc & majori; nihil autem simile potest dici de Angelis. Itaque aliter

RESPONDETUR 2. Majorem scilicet esse veram, si ipsum objectum conservandum dicat intrinsicam exigentiam ad conservari; & ita vivens conservatur propter exigentes id dispositiones, illis autem deficientibus, non conservatur: Difficultas autem est: An Angeli dicantur exigentiam ad semper conservari? Quod autem

id dicant per nostras rationes commodius suaderetur. Quod autem adfertur, spirituales species deponere non nisi determinatam durationem, id melior Philosophia negat.

3. RATIO. Suarii est hic l. 1. c. 9. n. 7. Esse scilicet conforme inclinationi naturali Angeli, ut sit perpetuò.

RESPONDETUR. Si loquamur de appetitu elicitò, hic non probat inannihilabilitatem: quia etiam homines habent appetitum elicitum ne moriantur, nec tamen sequitur de potentiâ ordinariâ, esse indestruibilem hominem. Imò cum Angeli sint rectissimi in suis appetentis, noscendo se non posse ex intrinsicis principis durare semper, nunquam id appeterent appetitu elicitò absoluto. Si autem dicatur hunc appetitum esse innatum, probandum prius foret non dicere Angelos intrinsicam determinationem durationis. Unde causa naturalis illorum conservationem impediens, esset, determinatæ durationis exigentia.

Et hæc circa examen Rationum. Sit

DIFFICULTAS I.

An Angelus sit inannihilabilis ex gratia per potentiam ordinariam?

VIdimus Angelos non esse per potentiam ordinariam annihilabiles, restat discutere, hæc inannihilabilitas, estne illis per naturam debita, an verò ex gratia? Potest in præsentia esse quæstio de re, & de voce. De re erit, si quis dicat non esse in Angelis exigentiam, ne unquam corrumpantur, sed habere id mero favore; De voce erit quæstio, si dicas in Angelis non reperiri prædicatum obnoxium corruptioni: quia tamen de absolutâ potentiâ possunt annihilari, debetne dici inannihilabiles per gratiam?

DICENDUM est; Angelos per naturam esse incorruptibiles, & non per gratiam. Est contra Valq. d. 182. c. 2. Martinon d. 36. S. 6. Pro nostra Conclusionem est citatus Suarez. Arriaga d. 2. S. 1. Joan. à S. Thom. d. 20. art. 4. & alii.

Pro Conclusionem restituentur non nisi communes rationes.

PROBARI solet 1. Auctoritate Lateranensis sub Leone X. Sess. 8. ubi definitur. *Animam rationalem non solum verè per se & essentialiter humani corporis formam existere, verum & immortalem esse.* Ly autem per se & essentialiter indubiè significat, naturale hoc esse Animæ: quis enim diceret, quod per gratiam hoc habeat anima, quod sit informativa corporis? Ly autem verum & connectit illud per se & essentialiter etiam cum anima. Hinc formatur Enthymema; Anima ex Conc. Lateran. per naturam est immortalis. Ergo multò magis Angeli.

RESPONDET Martinon cit. n. 52. Concil. tantum definit; Animam esse per se & essentialiter immortalem, comparative ad causas secundas;

das: quod dicit se colligere ex duobus, in primis quia Concil. utitur Auctoritate Evang. illud autem significat à causis secundis, non posse in terminari animam. Deinde quia Concil. dicit, quod oppositum sit unum ex perniciosis erroribus, non est autem perniciosus error dicere, quod perseverent continuo beneficio Dei.

CONTRA est. Concedo uti Concil. Auctoritate Evang. sed nego quod ex illo loco, non eruat animam per naturam, esse incorruptibilem; hoc enim significant illi termini, per se & essentialiter. Et si Concil. dixisset, Animam rationalem esse per naturam non solum humani corporis formam, sed etiam immortalem, dicitur esse concluditur per naturam competere illi immortalitati: Ergo etiam cum dicat per se & essentialiter convenire illi immortalitati, concluditur idem: quia ly essentialiter, est idem, ac per essentialiter, & ly per essentialiter, idem, ac ly per naturam. Tum, quia ly essentialiter plus adhuc sonat, quam si positum fuisset ly naturaliter: quia quando aliquid dicitur naturaliter non posse fieri, adhuc recursus est ad supernaturalem actionem, sed si dicatur essentialiter id esse, non datur jam evadendi locus. Tum quia, negare quod Angelus non exigit incorruptionem, videtur contravenire huic, ex gratia est illi incorruptio, & tamen prius illud, concedunt oppositi.

PROBARI solet secundò. Non implicat Contradictionem res, quæ exigit naturaliter esse perpetuò, ita ut triplex sit rerum varietas, quarum quæ naturaliter existunt sed non permanentes, alia permanentes sed defectibiles, alia permanentes sed indefectibiles: tales autem Angelos esse suadet locutio Lateran. idem tribuens animæ.

RESPONDET. Martinon, quod si daretur talis creatura deberet esse aliqua alia non Angelus deberet enim esse excellenter perfecta: ex eo enim colligitur naturam Divinam & ejus perfectiores esse perfectissimas, quia existunt absoluta necessitate, post illam verò nequit eminentior concipi creatura necessitas existendi quam in ente naturaliter incorruptibili. Porro Angeli non sunt tantæ perfectionis: dicitur enim Ps. 8. v. 6. quod illis paulo non nisi minus minorati sunt homines.

CONTRA est. Tum, quia necessitas existendi posita in Deo, idè arguit summam perfectionem, quia est fundata in afeitate, quam quia non haberet creatura, sit ut non deberet esse perfectissima. Tum, quia posset illi creaturæ tribui formalitas perfectissimæ in linea durationis, non verò in linea absolute entis. Hinc talem perfectionem etiam corporibus & ipsis cælis tribuere possumus. Tum quia, quamvis dicantur Angeli, non nisi paulò superiores hominibus, id non probat quod naturaliter sint annihilabiles, cum ipsa anima petat etiam non annihilari, in hoc minorata, quia non exigit perpetu-

um exercitium ejus actus, ad quem ordinatur, qui est informare corpus, vel etiam in hoc minorata, quia dicit ordinem ad corpus. Quamquam fortassis hæc minoratio stat in restrictione intelligendi: pauciora enim Angelis intelligimus.

PROBARI solet 3. ex Suar. Igni connaturale est calefacere passum, quamvis indigeat influxu Dei, qui libere exercetur: Ergo etiam naturale erit Angelo semper existere, licet indigeat concursu Dei qui libere exercetur: sufficit enim utrobique quod ille concursus, sit connaturaliter debitus.

RESPONDET Vafq. Disparitatem esse, quia ignis habet vim & potentiam producendi calorem, ferturque quasi impetu ad talem effectum, ita ut si ei negaretur concursus, violentum id illi esset; at natura spiritalis, ita existit Deo producente, & conservante, ut ipsa non habeat vim ullam, quæ cum Dei concursu seipsam conservet, nec habet inclinationem naturalem, per modum potentie, ad existendum, cum ipsa non distinguatur à sua existentia. Ex eo verò quod non distinguatur in Angelis esse ab essentia, non sequitur illorum incorruptibilitas: quia corruptibilitas tota stat in hoc, quod hæc essentia quæ aliquando existit, nutu Dei conservetur.

CONTRA est. Tum, quia concedo Angelum non habere vim quasi effectivam conservandi seipsum, habet tamen prædicata exigitiva non annihilari, cur ergo hæc non fundabunt naturalem incorruptibilitatem in Angelis? sicut prædicata exigitiva in igne, ut ponatur ab illo calefactio, fundant ut illi sit naturale calefacere. Tum, quia vel habet Angelus prædicata quæ magis exigant conservari quam sonus, species audibiles, &c. vel non habet: Si non habet, ergo conservari illius, ita est illi supernaturale, sicut sono si servaretur semper: Si autem habet Angelus talia prædicata. Ergo naturale illi est conservari: quia secundum illius prædicata exigitiva: hæc enim idem sunt. Tum, quia nego ex eo nos assumere naturam suam Angelos esse incorruptibiles, quia existentia illorum identificatur essentia eorundem. Nego item corruptibilitatem Angelorum stare in hoc quod existentia illorum nutu Dei servetur: hoc enim servari nutu Dei dividitur in membra, h. e. servari secundum exigentiam prædicatorum, & in servari contra exigentiam prædicatorum: primum illud debetur Angelis, & arguit naturalem conservationem.

Accipit hanc paritatem positam in argumento Cyrillus l. 8. Thes. c. 2.

PROBARI solet 4. quo etiam Argumento utitur Arriaga Disp. 2. S. 4. si esset naturale corrumpi Angelo, idè esset: quia habet naturalem non repugnantiam, & capacitatem passivam ad corrumpi. Sed hæc Ratio non convincit, alias

ex eo

ex eo, quia lapis habet naturalem capacitatem ad patiendum motum sursum, motus ille erit illi naturalis.

PROBATUR 5. Vel habet Angelus prædicata intrinseca, quæ poscunt à Deo ut illum annihilent, vel non habet. Si habet, quænam sunt illa? & si illa habet, qui est distinctus, ab iis, quæ cum conservantur immediatè à Deo, nihilominus de lege ordinaria corrumpuntur. Si autem non habet talia prædicata, quæ poscant à Deo ut illum annihilent: Ergo habet prædicata, quæ poscunt ne annihilentur: nam illud, non poscunt, fundatur in aliquo positivo: ad eum modum; quia non poscit homo, ut sit, Leo, poscit, ne sit Leo. Quod si poscit Angelus ne annihilentur, naturale erit illi non annihilari: hæc enim idem sunt. Neque hoc erit argumentari à sensu negativo ad infinitatem; sed ostendere positivum prædicatum, in quo negatio illa fundetur, quod positivum prædicatum, intelligitur, per illud poscere non annihilari.

IDEM INTENTUM aliter probat Esparza q. 3. art. 2. Quia scilicet Angelus ex natura rei habet potestatem peccandi lethaliter, peccato autem lethali æternitas pœnarum debetur. *Sed hæc ratio*

NON CONVINCIT, quia ex natura rei Angelo non debentur vires supernaturales gratiæ, sine quibus si peccetur, ad maximum non committetur peccatum mortale cui debetur æternitas pœnarum, imò nescimus demonstrationem, quod debeatur etiam mortali. Quando autem dicit, quod ad puram torturam haberet Angelus appetitum ad sui conservationem: id non convincit, quia non est tortura noscere sibi aliquid non dandum, quod sibi nullo modo debetur, & ad quod nullum ordinem dicit: sicut non est tortura homini, quod non sit lucidus ut sol. Hinc non esset tortura Angelo si non esset duraturus, si non probas aliunde id illum exigere, imò negabitur habere illum appetitum ad perpetuam durationem.

OBJICIT I. Vasq. ab Auctoritate Bonav. & Richardi.

Sed illi oppositum sentiunt: Nam agnoscunt immutabilitatem, quam vocant incorruptibilitatem, & hanc dicunt esse in aliquibus rebus per naturam, ut in Angelis.

Adducit etiam Auctoritatem Justini L. qq. q. 13. & Damasc. L. 2. de Fide c. 3. *Immortalis inquit est Angelus non natura sed gratia.*

RESPONDETUR. Negare PP. immortalitatem Angelis, ut significant de absolutâ potentia illos annihilari posse: sed non intelligunt nomine gratiæ, collationem alicujus non exigiti ab Angelis, quo etiam modo explicari debet Auctoritas Epistolæ Sophronii.

INSTAT I. Martinon n. 50. Creatio ex sensu Patrum vocatur gratia, quia nullis ex parte nostra meritis præcedentibus, factum est, ut

crearemur: Ergo & Angelis immortalitas erit ex gratia: quia ex gratuita Dei bonitate.

RESPONDETUR. In primis concedendo intervenire illic gratuitam bonitatem hoc sensu: quia oppositum posset fieri. Sed non hoc sensu, quasi hoc non sit exigitum ab iisdem. Deinde multi salvant rationem gratuiti per hoc, quia productio illorum fuit gratuita; conservatio autem est idem cum productione. Denique Disparitas adferri posset; quia ut crearentur nulla fuit in iis exigentia, quæ datur ut conserventur.

INSTAT 2. Idem impugnando secundam responsum immediatè allatam; Nemo dicit ignem calefacere per gratiam, licet prima illius productio fuerit ex gratia. Ergo nec conservatio Angeli erit ex gratia, ex eo, quia illius productio fuit ex gratia.

RESPONDETUR. In aliquibus quæ supponunt non nisi pro primo suo fieri gratiam, nihilominus etiam continuatio ad gratiam reducit. Et ita dignitas senatoria ad vitalitiam, est gratia Regis, quamvis de ordinaria lege, teneatur Princeps servare Senatorem, in illâ gratiâ. Interdum etiam gratia primò facta, non transfundit denominationem gratiæ in conservationem ejusdem esse: Sic v. g. si aliquis Episcopus ex gratia extra tempora aliquem initiet, facit illi gratiam, neque tamen conservatio status illius sacri, vocatur postea gratia Episcopi. Quando autem conservatio debeat appellari gratia, pendet ex usu & usurpatione humanâ, quæ non accessit ad dicendum ex gratiâ esse Dei, quod ignis calefaciat; licet ad gratiam revocetur, quod sol oriatur super bonos & malos, qui etiam usus accessit, ut dicatur conservatio Angelorum in sensu explicato, esse ex gratia.

OBJICIT 2. Vasq. Res omnes possibiles supernaturali sunt objecta Divinæ omnipotentia, non ex eo, quod sint possibiles fieri ab omnipotentia, sed ideò possunt fieri ab omnipotentia, quia sunt possibiles. Ergo etiam eodem modo philosophandum est de corruptibilitate, nempe quamcunque rem, ex se ipsa, secundum rem, potentiam habere ut non sit.

RESPONDETUR. Eodem modo philosophandum esse de corruptibilitate per ordinem ad potentiam absolutam, ac philosophamur de possibilitate, scilicet dicendo non ideò de potentia absolutâ posse annihilari Angelum, quia Deus habet potentiam; sed habere potentiam, quia potest annihilari. De corruptibilitate autem per ordinem ad potentiam ordinariâ aliter discurrendum: quia nec creatura dicitur hunc ordinem ad sui annihilationem, nec potentia Divina ordinariâ, dicit ordinem ad annihilare.

Quod autem addit in decursu Vasq. Quamvis dicant non repugnantiam possibilia ut producantur, nihilominus illis non produci, non est violentum; hinc similiter non erit violentum & innatu-

in naturale, corrumpi Angelis. Id etiam non convincit. Quia possibilium non habent prædicationem exigivum suæ productionis, sed nonnisi permissivum, ut ita dicam; exigunt autem Angeli ne corrumpantur, & si concedatur exigentia ad produci possibilem, id erit nonnisi per rationem: unde illa exigentia antecederet ad existentiam, non erit in statu actuali, cum tamen violentia, sit existentium; è contra autem exigentia Angeli ne annihilentur, est actualis, & in statu existentiae deducta, adeoque capax, ut dicatur illi non esse hoc naturale.

OBJICIUNT 3. Aliqui apud Martinon n. 43. ut aliquid naturæ suæ immortale dicatur, requirunt, non modò ut possent, sed etiam ut debeant, non mori: Tale debitum non est in Angelis; quia tale debitum est vis quædam ad accedendum mortem; hanc non habent Angeli: quia seiplos non conservant, sed à solo Deo conservantur.

RESPONDETUR. Vim illam servandi, non habere quidem Angelos, quæ sit coëffectiva conservationis: sicut enim non efficiunt sui productionem, ita nec sui conservationem: habent tamen vim h. e. exigentiam prædicatorum.

INSTABIS. Non datur exigentia in creatura durationis æternæ à parte ante. Ergo nec à parte post.

RESPONDETUR. Qui non teneret possibilitatem creaturæ ab æterno permanentis, disparatam facile adferret. Deinde est Argumentum à faciliiori ad difficilius, difficilius autem est durare etiam à parte ante. Adde non ostendi, quodnam sit prædicatum exigivum durationis æternæ à parte ante; potest a item tale prædicatum ostendi ad durationem æternam à parte post per rationes suprà pro Conclusionem allatas. Sed quid si aliquis dubitaret de Antecedenti: neque enim adhuc illa creatura esset à se, nec inferret necessitatem suæ positionis à Deo talem, cui per absolutam potentiam resistere Deus non possit; & quòd de facto illi restiterit. Nec inde sequeretur factam violentiam alicui creaturæ: nam violentia ut suprà diximus, non firmis existenti. Inclinat Martinon ad possibilitatem talis creaturæ; quòd autem negatio creationis illius non sit violentia, sic explicat; quemadmodum Deus alia quædam propter fines bonos non constituit in statu naturali, sed contra ipsorum exigentiam, cuiusmodi est quòd omnes terræ partes extimæ, non æque distant à centro: sic etiam potuit Deus non obsequi exigentiæ propter suos fines ne poneretur illa creatura.

Exigentia illa ad conservari, stans cum ipsa actuali conservatione, importat actum primum ad conservari, non quidem distinctum realiter, distinctum tamen ratione: quia in illo instanti durationis, possumus adhuc parti duo instantia considerabilitatis, in primo exigi ab essentia

Angeli ut conservetur, in secundo respondere illi exigentiæ Deum. Et licet in eodem instanti non possit aliquid habere actum primum distinctum realiter à duratione, quia aliàs idem se ipso esset prius & posterius, prius ratione actus primi, posterius ratione ipsiusmet durationis, seu actus secundum physici; potest tamè aliquid in eodem instanti, esse prius duratione per considerabilitatem: ad eum modum quo in Divinis exigit filius, ut persistatur in eius generatione, quæ exigentia, simul est, cum illius expletionem.

DIFFICULTAS II.

Possibilisne Angelus essentialiter inannihilabilis?

POSSIBILEM esse creaturam essentialiter inannihilabilem docuit Arr. D. 15. Met. S. 2. n. 64. & hic D. 2. n. 6. eandem retractat. Favet Mart. D. 6. de Deo n. 34. Negat Suar. hic L. 1. c. 9. n. 5. Vasq. hic l. p. d. 182. c. 2. n. 8.

DICENDUM est. *Implicare Angelum imò quamcunque creaturam essentialiter inannihilabilem, seu quam Deus ne de absolutà quidem potentiā annihilare possit.*

PROBATUR I. Talis creatura & conservaretur & non conservaretur à Deo: hoc implicat contradictionem: Ergo. Quòd talis creatura sit conservanda à Deo, probatione non indiget; nam hoc concedunt Oppositi cum Arriaga. Deposcit etiam hoc Auctoritas Aug. L. 4. de Gen. ad lit. c. 12. & L. 5. c. 20. Nazianz. orat. 2. de Theol. q. 36. Ansel. Monologii c. 12. qui ita loquitur: *Sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem essentiam; ita nihil vigeat, nisi per ejus servatricem potentiam.* Unde sicut implicat in alio rerum ordine esse aliquid, quod non sit Deus, & tamen non esse creatum, ita si vis Auctoritatis spectetur implicabit etiam in alio rerum ordine, non conservari aliquid à Deo. Gregor. 16. Moral. c. 18. *Cuncta, inquit, quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam Auctor omnium, regiminis manu teneret.* Et hoc ipsum, ulterius sic probat Ratio. Quia si aliqua creatura non conservaretur à Deo in genere durationis & conservationis, æque esset independens & à se, sicut ipsemet Deus; in nulla autem formalitate est simpliciter independens, & à se, creatura. Quòd autem non sit conservanda à Deo illa creatura, sic probatur; Conservatio quæ est essentialiter frustrà non datur, ut suprà etiam probatum est in simili, sed conservatio creaturæ inannihilabilis, esset essentialiter frustrà; quod probatur, si aliquid de se esset necessarium in existendo, & ponendo se extra nihilum, illius productio ab alio esset essentialiter frustrà & inimaginabilis. Hinc Deus quia est ens necessarium in existendo, non indiget ab alio & non potest produci: Ergo etiam quod est necessarium in permanendo, & essentialiter